

strictum Chetyne cum omnibus suis pertinencijs a nostra Regia collatione et nostre prouisionis dono racionabiliter conseruasset et nunc conseruaret, vigore priuilegialis littere nostre mediante, et ad ea corroborandum vt dictus districtus Chetyne semper de jure et legitime Regie collationi pertinuerit, nosque ipsum tamquam nostre collationi pertinentem et nulli alteri debentem, sibi iusto juris titulo conferre valluissemus. Ibidem et instanti quoddam priuilegium olim Excellentis principis domini Andree Regis Hungarie, atthau nostri karissimi felicitis recordacionis, de anno M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. X<sup>o</sup>. confectum et emanatum exhibuisset. In quo inter alia expresse reperissent contineri; quod idem dominus Andreas Rex pro multiplicium et diuersorum seruiciorum preclaris meritis quondam Domaldy Comitiss de Scibinik fillij Saracheni, quandam terram nomine Chetyna et Tryl, cum omnibus suis pertinencijs, eidem comiti Domaldo et suis heredibus perpetuo dedisset et donasset, et eundem in ipsius terre possessione seu dominium per Vlicum Teutonicum et Sclouignam pristaldos suos fecisset introduci. In quorum contrarium prelibati Iwan, Lachkow et Tuerko allegassent: quod pp. (?) ipsi alia priuilegia et litteras eiusdem domini Andree Regis in facto dicte Chetene (sic), tales que pretactum priuilegium per ipsum comitem Iwan exhibitum, reuocassent et inualidassent, habuerint. Tamen idem Comes Iwan eos captiuando ipsa priuilegia et litteras manu violenti ab eisdem abstulisset, et hoc consciencie attestacioni solummodo sex juratorum per ipsos nominandorum submitterent incunctanter; ad que idem Comes Iwan in contrarium obiecisset, quod licet ipse prefatos Iwan, Lackow et Tuerko pro ipsorum census non solucione et servicij obmissione dudum detinuerit et captiuauerit, tamen nulla instrumenta et priuilegia ab ipsis abstulisset nec aliqua litteraria munimenta ipsos habuisse sciuisset, uel audiuisset, sicque in totali premissa accione eorundem innocens esset penitus et immunis. Et cum eadem genitrix nostra ac dicti prelati et Barones nostri partium predictarum huiusmodi proposicionibus et obiectiuis allegacionibus perceptis et auditis viginti duos juratos pro exequendis iuribus nostris regalibus in Regno Croacie per nos deputatos, quorum assercionibus eedem partes se finaliter spontanea eorum obmiserant voluntate, in eo; vt qualis ipsis de omnibus premissis et eorum singulis veritatis constaret certitudo, eam consciencie sub prestiti iuramenti forma ipsis indagarent, requisitos habuissent, iidem viginti duo iurati, habito prius inter se diligenti scrutinio et tractato, parili voto et voce consona ipsorum nemine discrepante ad eorum fidem deo debitam et fidelitatem sacre corone nostre Regie ac nobis obseruandam, extitissent attestati: Quod idem Iwan, Lacko et Tuerko ac eorum predecessores, de nobilibus duodecim generationum regni Croacie ortum et originem non habuissent, nec haberent, sed bene verum foret, vt ipsi et vniuersitas nobilium Regni Croacie sepefatos Iwan, Lacko (sic) et Tuerko, in eo loco, quo residenciam fecissent personalem, semper numero et nomine nobilium conseruassent et reputassent. Sed quod iidem aliqua priuilegia et instrumenta in facto dicte Chetyne habuerint, vel quod ipse Comes Iwan pro ipsis Instrumentis ipsos captiuauerit et ab eisdem ipsa abstulerit, nunquam audiuisset et sciuisset, neque sciuerunt. Cum itaque dicta causa propter repentinum ipsius domine Regine matris nostre recessum de Jadra factum, nostre deliberacioni et discussioni fuisset procelata, Nos demum, Zagrabie nobis personaliter existentibus, ultra premissam dictorum Juratorum attestacionem, ex